

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-tertiâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LI.

M. DAVID VASSE, Doctore Medico, Præside.

An ulceribus Pulmonum suffumigium è Balsamicis?

I.



PULMO est viscus illud, quod in mediâ cavitate, thorax, dictâ continetur; ex vasis arteriosis & venosis, tùm sanguineis, tùm lymphaticis; tùm aerem ducentibus, efformatur: substantia mollis, spongiosa, subtilis, doloris vix capax. Inter primarios Pulmonum usus, annumeratur respiratio; hujus ope & aeris illabentis Beneficio, sanguis intrà vasa pellitur & subigitur. Viscus illud, quam plurimis obnoxium est morbis; inter crudeliores numeratur Pulmonum tabes, ubi ad summum pervenit morbus. Cau-

ſæ huncce efficientes morbum infinitæ deducuntur, à debilitate vaſorum, ab acredine humorum, à ſuppreſſione excernendorum, veluti menſtruarum purgationum, lochiorum, hæmorrhoidum, veterum ulcerum, ſudorum, aliarumque hujuſmodi, à cæli intemperie, ab animi pathematis gravioribus, à vitiatâ chylificatione, à vini & liquorum ſpirituoſorum potatione, à nimio veneris uſu, à parentibus, à contagio, à negato vel violentiori exercitio, ab aere paluſtri fumove carbonum oppleto, à malâ thoracis conformatione, à morbis particularibus, ut ſcorbuto, ſcrophulis, hyſtericis paſſionibus, lue vereneâ, péripneumoniâ, pleuritide, &c. Ad debellandum huncce infenſum inimicum, fruſtrà quam plurima tentavit ars ſalubris. Innumeræ mutationes & ſubactiones quas ſuſtinent medicamina, antequam ad ſubſtantiam Pulmonum perveniant, virtutem eorum medicatricem, vanam, inutilem, vel ſaltem debilem efficiunt. Sed medicamentum, parti læſæ appoſitum, certè ſcopum attingeret & ulceris progreſſum ſiſteret; dum à laudabili chylo, ab alimentis euchymis reſtaurarentur partes dilaceratæ. Solum vehiculum, quo mediante partes balſamicæ, deterſivæ, breviori viâ in pulmone applicentur, nihil aliud eſt, quàm aer partibus ſubtilibus, ſecundùm indicationem præparatis, imbutus & onuſtus.

I I.

TABES ſumitur pro Pulmonum conſumptione. Duplex diſtinguitur; eſſentialis, quæ in pulmone cauſam agnoſcit; ſymptomatica, quæ ab affecto alio viſcere producitur; ſtatus triplex; incipiens, confirmata, deplorata. De incipiente & confirmatâ hic tantùm ſermo eſt. Poſt dilacerationem, à quâcumque cauſâ oriatur, ſanguis tunc ſtagnat, putreſcit, & partes vicinas corrodit & ulcerat. Sanguis enim depuratiſſimus, ſi motu proprio non feratur, tunc putreſcit; exindè tabes. In hoc morbo affectis apparet tuſſicula, cum ſanguine & pure, febris hectica, calor extremitatum, præſertim volæ manuum & plantæ pedum; dolor gravativus & periodice pungens in dorſo, genæ rubicundæ, vox rauca & exilis, anhelitûs fætor, & ingraveſcente morbo, capillorum defluvium, unguium curvatura, reſpiratio difficilis & anheloſa, pectoris opreſſio, maraſmus, hypocondriorum gravitas, urina rubra, iracundia, triſtitia, animi anxietas, pruritus, diarrhæa; cognoſcitur etiam ille affectus ſputorum naturâ; vel ſputa ſunt ſubalbida, vel pellucida, vel lutea, vel ſubcærulea, vel ſubnigra & ferruginea, vel ſalina, vel inſipida, vel fætida. Ab aere medelam & ſanitatem expecta; nam veſiculoſum Pulmonis parenchyma, continuò ferè ab aere penetratur & in ultimis receſſibus, perpetuâ novi aeris per reſpirationem ſucceſſione naturæ lege diſtenditur. Ità præſens aeris ſtatus, non poteſt non eſſe maximi momenti. Debita aeris temperies, non ſolum præſervationi, verùm etiam curationi magis confert, quàm ſpecioſiſſima medicamentorum congeries, quæ non adeò continuò, nec pari copiâ ingeri poteſt ac aer. Ille autem, ut poteſt partibus impuris gravatus, inſenſibili modo vel rapidè œconomiæ animalis harmoniam evertere, ſic miaſmata ſalubria ferens, partes dilaceratas reſtaurare, ad primam conformationem reducere & ulcera mundare potens eſt. Interiora Pulmonum ulcera, ut exteriora corporis, quæ ab aere tanguntur, ſpectari poſſunt; hæc autem topicis curantur, præſertim balſamicis & deterſivis.

I I I.

IN curatione hujus morbi, aeris efficaciam, energiam, admiſerunt antiqui & recentiores Medici; prout enim ſiccus, tepidus, vel morbidè frigidus & nebuloſus eſt, hujus affectus curationem impedit vel promovet. Sic pro methodo medendi, pro diverſis affectibus, diverſam aeris temperiem jubebant. Ea ratione ſuffultus Galenus, (*a*) præcipit aere exiſtente calidiori, æſtatis tempore ægrum degere in loco ſubterraneo, qui frigidiſſimus ſit & ad Septentrionem vergat. Sic phthiſicos mittebat ad

(*a*) Galenus Method. Med. lib. 10. cap. 8.

vesuvii confinia, ubi aer siccior esse solet; sic Mortonius (*b*) jubet, ægros aere uti aprico, perflatili, benigno, & à fumo carbonum libero, qui non solum spiritus animales genusque nervosum confortet & consequenter appetitum languentem restituat: verùm etiam pulmonibus, continuâ tussi calefactis, pacem conciliare possit. Et (*c*) Riverius, solo aeris usu conveniente hecticum extremâ macie confectum, intra mensem restitutum, vidisse affirmat. Recentiores iisdem innixi principiis, aere usi sunt. Nam ægrotos per fumum balsama peruviana & de meka hausturos esse voluerunt, & sæpè sæpiùs illa remedia, cum successu præscripta fuisse testatur experientia; sed si illa aliquandò gravia & funesta symptomata pauere, non miror; epiglottidis, trachææ arteriæ texus delicatior, corpusculorum abundantiam, per fumum respiratione attractorum, sustinere non potuit. Exindè tusses enormes, syncopes & respiratio ferè intercepta; exindè status pejor quàm anteà. Sed his incommodis præitur, si aer intra parietes cubiculi receptus, insensibili modo salutares partes fert & applicat. Illud autem perficitur à suffitu levi.

(*b*) Richard. Morto. Phthisiologia Lib. II. cap. II.

(*c*) Riverius Prax Medic. lib. XVII. cap. III. de febre hecticâ.

IV.

SUFFUMIGIUM est illud remedium, quo partes quælibet, ope ignis suum odorem latè dispergunt & vapore odorifero per nares, in faucibus pulmonibusque, unà cum aere intromittuntur immediatè; differt ab odoramentis quod hæc sine igne suaveolentiam suam expirent. Suffumigium à pluribus duplex distinguitur, unum voluptatis & sanitatis alterum, vel ad utrumque simul inserviens; siccum & humidum utrumque, & cultui aulico & deliciis dicatum. Quamvis ad voluptatem magis inservire videantur, tamen pro corporis utilitate præscribi possunt. Cerebrum recreare, Pulmonem à malignitate vindicare valent. Humidum usitatissimum, in plurimis morbis usurpari potest, ad cerebrum expurgandum, ad catharros absumendos, ad pituitam pectore contentam dividendam & elicidiendam, ad ulcera præsertim pulmonum siccanda, ad alios plurimos affectus levandos miracula efficiet. Inter præsidia, evaporationes & suffitus, tanquam nobiliora recenseri, iisque in extremis angustiis confidi vult Christ. Bennet (*a*); quorum materiam & utendi modum indicabimus. In angulis cubiculi efformentur cavitates strictæ quæ ad tabulatum ferè ascendant, ita ut evaporatio pleno cavitatis alveo ascendens in aere dispergatur & nulla alia quam respirationis vi in pulmonem devehatur. Sit apertura quædam in infimâ parte quâ intromittetur ignitabulum carbonibus repletum, ut super illos injiciatur materia suffitûs. Medicamenta quæ possunt suffumigia præbere salutaria, sunt præsertim Benjoinum, mirrha, thus sivè olibanum, ambarum, moschum, & balsama tùm peruviana, tùm judaica, vulgò *de la Meque*, therebentinæ, gummique resinosarum variæ species, &c. (*b*) Aliquæ suffituum formulæ reperiuntur in Theatro Tabidorum Benneti. (*c*) In Codice medicamentario Parisiensi describuntur pastilli odorati pro fumo, qui certè mirificè sanarent.

(*a*) Theatrum Tabidorum pag. 71.

(*b*) Ibidem Pag. 139.

(*c*) Codex medicamentarius Parisiensis pag. 109.

V.

INCIPIENTIS confirmatæque phthiseos curatio, consistit in ulceris abstersione & conglutinatione, causarum producentium vel foventium ablatione, consumptionis restauratione. Ab aere medicato abstersio & glutinatio; à victu causarum ablatio, deperditionisque reparatio expectanda. Halitus & suffitus ad ulcera Pulmonum potenter detergenda siccandaque utiliter usurpari possunt, & illæ evaporationes ore, naribusque frequenter attrahendæ sunt, sic remediorum vires rectâ viâ feruntur. Phthisim hanc, absque ulcerum cicatrice à quibus originem suam trahit, radicitùs curare, & effectum, causâ adhuc manente tollere, idem est. Ad restaurationem causarumque ablationem egregiè convenit lac muliebre, præsertim, si à mammâ exsugatur, bis in die, vel solo lacte nutriatur æger. Possunt tamen in usum venire pulmonalia, amara, incrassantia, hordeata, amygdalata, & restaurantia varii generis; & illa quæ

à viribus ventriculi superantur, subiguntur, & in chylum laudabilem facilè mutantur, & simul vitiosam corporis acrimoniam ac succos temperant. Hâcce praxi multos curavisse asserit Christophorus Bennet, & historias sanationum narrat (a) » Pulmonum lobum cujusdam mercatoris Londinensis erodebat ulcus, è tussi inveteratâ & fluxione salinâ hæmoptosim inducente oriundum, quod levis arteriæ divaricationem lobo insertam unà perferat; cui symptomata omnia, quibus phthisis consociata est, ingruebant, in pejus in dies ruitura; halituum denique & suffituum methodicâ intermiscelâ sanus evasit. Quâ integritate permansit per sex annos, quo temporis curriculo, meque annuente, Hispaniæ, ubi commercium fecerat, vitam degebat incolumen; sub initio Autumni oras Angliæ petenti, ab impeditâ pororum usuali διαπνευςία, fluxus concitatior totum lobum, ut lateri adhæserat, replevit: cujus exæstuationis sanies pulmonem ita perfudit, ut spiritûs transitum brevi denegavit; dissecto Cadavere trachææ pars erosa, cui cicatrix inducta fuerat varicosa; lobo verò pars adnata conspiciebatur...... internam arteriæ vocalis membranam, per salinos affluxus derasam, tussique non raro ejectam animadverti, halituum tamen & suffituum usu regeneratam: ex quo convalescentes aliqui supersunt, binosque à phthisis diuturnioris corruptelâ Pulmones frustulatim rejectantes hisce, aliis non prætermissis, redintegravi. « Hoc contra pulmonis ulcerum sanationem fortiùs militabat argumentum, quod ulcera, quæ ansam huic phthisi præbent, rarissimè perfectè sanari possint, ut pote extra manùs applicationem posita; sed nunc nullus restat arguendi locus, dum in parte affectâ medicamina quasi manu ferantur.

(a) Theatrum Tabidorum pag. 72.

Ergò ulceribus Pulmonum suffumigium è balsamicis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Anna-Carolus Lorry.

M. Dionysius Pautier de La-Breuille.

M. Jacobus-Albertus Hazon.

M. Bernardus-Nicolaus Bertrand, Scholarum Professor designatus.

M. Jacobus-Laurentius Mauroy.

M. Claudius-Carolus de Jean.

M. Stephanus-Ludovicus Geoffroy.

M. Natalis-Andreas-Joannes-Baptista Chesneau.

M. Franciscus-Felicitas Cochu.

Proponebat Parisiis PETRUS-ABRAHAMUS PAJON DE MONCETS, Blæsus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.